Opuscula

SONUS

Aureæ in Regno Sapientiæ libertatis intra Sacram Divi PAULI Eremum

VOCALISSIMUS.

D. JOANNES CANTIUS

S. Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, Regni POLONIÆ, & Magni D. Lithvaniæ

PATRONUS.

Annua suæ Festiuitatis die in Ecclesia Pinczoviensi D. Pauli Primi Eremitæ

Præsente Illustri Dignissimorum Hospitum Corona.

PER

M. MATTHÆUM ŁUKASZKIEWICZ,

In Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, Collegam Minorem, Ecclesiarum Collegiatæ Kielcensis CANONICVM, Parochialis in Pobiednik CVRATVM, ac interea Academiæ Pinczoviẽsis DIRECTOREM


Oratoriâ Panegyri

PROCLAMATVS.

Anno, Quô in omnem terram exivit Sonus eorum; qui sunt admissi in libertatem Filiorum DEI *1739. Die 25. Octobris.*

CRACOVIÆ TYPIS VNIVERSITATIS.

IN
STEMMA
PERILLUSTRIS DOMINI.



Quàm pulchri greſſus, quàm ſunt veneranda ZIEMNICCij
Geſta; patet, quoniam CRVX benedicit ea.
Aurea Libertas eſt, huic ſervire PRIORI,
Qui CRVCIS in Signo proſpera cuncta facit.
Ergo, dente CRVCEM FORCEPS hanc ſtringere noli!
ALBERTVS potiùs, pectore portet eam.

JOSEPHVS z Skrzynná DVNIN RZVCHOWSKI.
DAPIFER Culmenſis, Pòëſeos Alumnus, ORATOR.

PERILLUSTRI ET ADMODUM REVERENDO D.

ADALBERTO ZIEMNICKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORI, Archicænobialis Monasterij Andreoviensis

PRIORI PERPETUO MERITISSIMO, PATRONO ÆSTIMATISSIMO.

*A*Urea, quam *Tuo Stemmate geris, Libertas, CANTIANIS laudibus, ut Oratorio resonarent ab ore, pretiosam materiem dedit, hinc jure CANTIUS cum gratijs è Regno Sapientiæ ad Sacrum Tuum Cisterciense properat Imperium, intra Religiosum* Aureæ Libertatis *Sonus cupiens promulgari silentium.* Perillustris Domine, PRIOR Meritissime, Patrone, Colendissime. *Et benè Candor Academicus niveo Vestrum jungitur colori; è domestico luco pulchriùs Religiosis spectatur in Umbris, inter quas Oratoriô depictus calamô venustiori formâ Orbi universo eminet CANTIUS. Jam hic Thaumaturgus Doctor suum apud Te invenit Atheneum. Immortalis Regni Cælestis Incola, Tibi Terrigenæ perpetuo Priori dicatur, consecratur. Quem Te talem, præter Romanum assensum & Vestrorum Comitiorum statuta, æviternis inserenda fastis, celleberrima pro Domo DEI ac Religionis decrevere acta. Intra florentissimum virtutum Tuarum Viridarium, quibus Poraiana flores supereminens omnes præest* ROSA,

placuit spatiari JOANNI, & simul sub ea propria Encomia decantare. Hinc felici omine suas in Te CANTIUS invenit gratias, Qui Vespasiani more diem perdidisse existimas, quodsi aliquid pro Divorum Aris non expenderis. Felix illud Poli Clima, sub quo Talis ac Tantus, ejusmodi Tuorum Natalium nactus es Lucinam, qui hoc temporaneo vitæ cursu omnia peragis digna æternâ luce, quam serenioribus Factis post sera Tibi clariorem efficies fata. In juvenili ætate nil in Te tale præter annos spectabatur, quos maturiori judicio à puerili sensu distingvebas. Videre erat intra Myszkovij Parnassi colles Tuum eminentem animum, quem primô Grammaticis attollens casibus, tandem ad crystallinum Heliconis statuens fontem, in eo monstrabas, qualis quantusve futurus eras. Tullius Tibi suo cedere volebat loco, dum Te tilatum Galhcanum Herculem, an Hortensium ad domesticam Rosam, Principes loquentem flores veneraretur. Et cùm summi in Aula Musarum emineres dotibus, factum est, ùt Te Religiosæ umbræ ex Academi ad se traxissent Luco, quas iningenij rutilantis fulgore illustriores effecisti. A primo ad Sacrum Cisterciense Archicænobium ingressu virtuosis semper gradiebaris passibus, in Philosophico ac Theologico in Augusta Claræ Tumbæ Stoa gloriose expedito Studio, tantum profecisti, quantùm ad Doctorales laureas, ad virentes emeritarum Frontium Coronas, erat satis. Has Superis cognatas dotes, Præsulum Gemma, eruditorum observavit ocellus, vitæ Religiosæ Norma Illustrissimus olim Augustinus WESSEL Camenecensis Episcopus ut per ante Abbas Andreoviensis, & illas gemmeo appretiavit sensu. Quantum hujus Augustini adhæseras Cordi, ipsæ prorumpentes flammæ amoris testes, cujus intima quæq; noscens, mens fueras alta. Tantùm Ille allaborabat consilijs, tantum solertissimo operabatur animô, quantum ad perpetuum Tui Honoris Prioratum poscebatur. Quid mirum itaq; quod de Te in Definitionibus Generalibus ex meritorum Tuorum præmissis

lata

lata, huc à Celeberrimo Vestri Ordinis Capite, Cistercio, venit conclusio; ut Tu Religiosum virtutis & Sapientiæ subjectum, esses primum & perpetuum in Archicænobio Andreoviensi Prædicatum. In hoc munere sospes ac incolumis bisseptenо adoraris anno, semper tamen post tot expletas in Orbe Religioso functiones, pijs instare non desistis operibus, cæpta ad Gloriam Dei Gentisq; Sacratæ perfici intensiori conatû procurando. In Cælum ipsum laudabilem Gygantomahiam moves, dum ipsis stupendum sæculis Basilicæ Andreoviensis è favilla erigis opus, Aris accumulando Aras, splendoribus addendo splendores. Ita rectefactorum gradibus substituis gradus, vt illis perpetuus ferme sydereos colles ascendas Prior. Innatum Tibi est pijssimis intentis cum Ipsis certare Superis, qui ad Eorum effusus altaria dignus notaris Arîs, ex Te ipso nobilissimã Deo pietatis Arã erigendo. Damnatis evanidi Orbis illecebrîs, intra mentis pientissimæ clausus sacraria, cum Deo ac Sanctis Cæli Indigetibus indies consilia agitare soles. Gestibus ad Religiosam compositis modestiam, defixos in Te spectantiũ efficis oculos, gravitate sensuum, quos veluti Gallicanus profers ab Ore Hercules, cunctorum catenas animos, adeo, ut à nutibus Tuis, ac Tua aurea nullatenus possint avelli Libertate. O quam svave est! hujus Sacri Archicænobij Incolis, sub Te motrice sui Intelligentia vivere; quos mellifluo ad Divina peragenda negotia allicis orê ac exẽplô. Illi tantũ gravẽ Tuæ directionis sentiunt virgam, quos suum plumbeæ mentis velle in devia ducere svevit. Felix hæc alijsq; præstantior Basilica, Te Priore nominanda, in qua dies omnis, festum primæ classis habetur, simplices etiam feriæ ob accomodam devotionis ac Musicæ harmoniam solennes celebrantur. Inhiabat Fronti Tuæ Abbatialis Cyrzycensis Infula, Pastorale ultro sese Tuis manibus ingerebat Pedum, illud tamen mereri mágis, quàm habere maluisti; vel ideo, ne à tabula cæpti operis, sæculorum cultu dignissimi Sacer manum amoveres Apelles. Inde Com-Patrũ deli-

cium,

cium, Fratrum Corona, inter affectuum pretia ab omnibus ambiris, singuliq́ Tuo gloriari cupiunt favore. Et *si Principibus placuisse Viris, maxima laus est, in Te Romanæ decus Ecclesiæ, Orbis Poloni Præsidium* Eminentissimus JOANNES CARDINALIS à Lipe LIPSKI, Episcopus Crac: Dux Severiæ *gratiosô, quo Te semper alloquitur Orê, ac omnimoda æstimatione fertur.* Celsissimus *olim* THEODORVS de Potok POTOCKI, Regni Primas, Primusq́; Princeps, *Principes suas Tibi testabatur gratias, in quorum majorem tesserã Beneficium Czernioviense Tuæ Curæ reddidit administrandum. In Te totos deponunt amores, quorum dimidium animæ es,* Illustrissimi & Reverendissimi FRANCISCVS ZALESKI Abbas Olivensis, *per utramq́ Poloniam & M. D. Lithvaniæ* Cõmissarius, Visitator Gñlis, & BERNARDVS ŁASZOSKI, Abbas Andreoviensis; *quorum primus proprios Tuæ prudentiæ sensus, alter in peragendis negotijs suum velle Tuæ aureæ commisit libertati. Alios Tui dignos æstimatores longiori syllabô ad calculum revocare, Religiosa non permittit modestia, quos tamen sufficiat in uno Poloni Senatûs memorare Conso,* Illustri ac Magnifico FRANCISCO FIRLEY KONARSKI, Castellano Becensi, *Qui è Senatoria sua Curuli Tibi optime vovens semper est pro domo Tua Orator, & cui Tu paribûs benevoli animi respondere non desinis votis. Ulterius Tuas Laudes Oratoriô non tango acuminê, nec amplioribûs elogijs tuis leve hoc impleo folium, canant reliqua de Te* MYSZKOVIANÆ *Musæ, quibus ex Te singulare accrescit decus & æstimatio. Sonum tantùm aureæ libertatis, auribus manibusq́ suscipe gratiosis* CANTIVM, *qui humanitatis Tuæ memor, Dignissimum Nomen Tuum, Magnis in Ecclesia DEI ac Sacra Religione auctum honoribus, toto Orbe faciet resonare; uti precatur.*

Perillustri & Admodum Reverendæ Dominationi Vestræ, Patrono Æstimatissimo.

Addictissimus & humilis Servus
AVTHOR OPERIS.

ORATIO

AMplam hanc Orbis Universi Compagem, quam miseri incolimus terrigenæ, à Supremo sui conditore tot varijs dotatam Regnis, vix Oratoriâ ingredior gradatione, protinùs ubiq; servile in rebus invenio genus AA. Universa etenim quamvis magnificis assurgant ædib9 Regna, splendido licetsi intus polleant apparatu, quid prodest? dum evanido iniquioris sortis fumãtia spectamus culmina, dum ex intuentium oculis gemebundas extorquent lacrymas, quod durum servitij bajulent jugum. Libera dominia illibera sunt, dum ab ipsis liberis mentibus aurea Libertas procul, quibus ferreus prædominatur Mars; & ne solutis incedant passibus mortales, ultrò illis duriori chalybe à ferrario compedes parantur Vulcano.

Strepentes Armorum sonitus, perpetuum Aureæ Civium libertati inducunt silentium, Martiales ignes ferales perennaturæ Civium infamiæ illi accendunt rogos. Generosa quamvis illustrioribus cunis evoluta progenies, jam cæcutientis fortunæ noctibus obscuratur; jam illius Divinæ particula Auræ maligniori spiritû suffocatur. Clariùs loquar: famosa Regna onerosìs infamantur servitìjs, Augusta Imperia in angustis servitutis gemunt compedibus. Non tot monstrorum parens Affrica visa fovisse in suis tesquis furentes immanitate belluas, quod in Regnorum statibus implacabiles Aureæ libertati offensæ feræ, possunt reperiri. Prophetico Danielis ductus Spiritû, Mercurij instructus thalarijs, superbam Babilonis involans turrim; dum immanem aligeris pennis pervolantem cerno Leænam, Leoninos feritate illam inhabitare conijcio animos. Persicum quodsi Oratoriâ gradationê feror in Regnum, vel eadem Assirias divertor in oras, illic recalcitranti susurrantem murmure Ursinam, hic mordacî ferientem dentê, rabidam suppono Pardorum progeniem. Mens esset oratorio impetu ante Othomanicam consistere Portam, ast teneriores artus horrenda ferreis faucibus, excubias ad

illam

illam peragens terret bellua, belle intra hujus Imperij ambitum, malevolos dentibus stridẽtes Aureæ Libertatis hostes nutriendo. Ast ut quid alienis versor in oris? præstò domi hæc sunt, cùm etiam in nostro Libero Regno, dura ferimur servitute. Agimus in ea, quæ liberæ resistunt rationi, bella plùs quàm civilia movemus, jusq; datum sceleri canimus, cruentas in nostra convertimus viscera dextras; monstramusq; nondùm nobis deesse hostes. O miseram hujusmodi Regnorum Sortem! o deflendum servilem Imperiorum statum! in quibus residentes incolæ, vel suprema, more suo, gravantur servitute; vel libero vitiorum adhærentes comitatui, perpetuo mancipij generi subsunt. Hanc Aureæ Libertatis caliginem ferrea nobis annorum animorumq; præstat rubigo, quibus dum belluales prædominantur passiones, liberi, nè illiberas vincamus, illis spontè in spolium cedimus. Ergo jam nè nullum dabitur Regnum, in quo Aurea possit regnare Libertas? minimè; adest Regnum Sapientiæ, in quo liberam ducunt mortales auram. Dos hæc Imperij sapientiæ est, ligatos mortalium animos exvinculare, & è nodoso servitutis Labirintho errabundos Theseos, filis argumentorum in planum li-

bertátis educere tramitem. Liberè vivit, qui in Regno Sapientiæ vivit, nec alibi liberum mortalium velle apparere potest, quàm sub libero sapientiæ Jove. Ast sileo tantisper de libertate sapientiæ, ubi Vox Clamantis resonat in Deserto, dùm Vox Gratiosa, quia JOANNIS, in Augusta Divi PAULI auditur Eremo. Hic in Regno sapientiæ Auream semper incoluit Libertatem, & durioribus lenocinantium vitiorum non implicatus catenis, nunquam fuerat JOANNES in vinculis. Ergo è Parnassi Myszkoviani collibus, intra hanc Divi PAULI descendens Eremum, dicam quod sentio; dum Divinissimum JOANNEM GANTIUM Sonum, Aureæ Libertatis in Regno Sapientiæ, intra hanc Divi PAVLI Eremum Vocalissimum, venerabor. Patieris o Inclytum Doctorum Decus, Pater Alme CANTI etiam tenuem ferre sibi carmina Musam; ad majus utiq; Tibi elogium est, quòd majori à me non possis encomio prædicari. Imple simul gratioso sonitu tyrocinantem facundiam, ligatam imbecillitatis nexu linguam in Auream resolve Libertatem, ut liberior pro laudibus Tuis sistam Orator. Sonus hic benevolas vestrûm exposcit aures, undè aureæ in Regno Sapientiæ Libertati,

pretium

pretium valoremq́; attentionis Veſtræ non negate.

Aurea quàm multùm in Regnis valeat Libertas, quomodo illius in Imperijs pendeat vocalis ab ore Sonus, mentes aureſq́; Virorum attentas in Regno Sapientiæ conſulere placeat AA. Jam quidem alijs illa exulavit ab oris, jam per ferreas hinc & inde ſtagnantium vitiorum è gremio Virorum extruſa catervas, jam jucundum illius Nomen neſandis obrutum conticinijs plerumq́; apud exteros malè audit. Irruunt in illam effrontes cæco impetu effrenati in omne neſas Catilinæ, ſub illius ethymo licere ſibi niti in vetitum, & ferreo alios aggredi Stylo affirmantes. Alij rutilantem illius fulgorem obſcurioribus factorum involvunt umbris, pretiumq́; ejus leviori vileſcere ſono, & claritatem faciunt tenebreſcere. Porrò ut adæquatum pretium metallorum ex ſonanti venamur tinnitu, ſic auream libertatē non muta appretiant facinora. Illa illa Libertas Aurea eſt, quæ plumbeis non dehoneſtatur geſtìs, nec levibus debilitatur actionibûs, cui à gemmeo verborum ſenſu pretium pondusq́; venit, & in capite, quod eſt aurum optimum, illi præfigitur ſedes. Ejuſmodi libertatem ſi videre vultis? in Regnum Sa-

pientiæ deſcendite, ego vobis Oratoria gradatione famulabor. O quam optimè in eruditis animis aurea reſonat Libertas! cui à cõſona ſcientiarum harmonia vox, valor, accedit ac æſtimatio. Doctas mentes non ita eruditum æquor foliorum claudit marginibûs, ut aliquando illis in cymba ingenij per illud navigare non liceat. Togatæ gentis Proceres in eruditis comitijs nunquam Scholaſticis cæduntur cæſuris; imò quoties ex Palladis recedunt Arena, ſemper victricem reportant ſine cæde triumphum. Non ideò appoſitis notantur paragraphìs, ut infamentur; non Schinotenicis ligantur funibûs, ut illiberi promulgentur. Libero ſuſurro fons profluit Heliconius, Caſtalias ne vocaliori decurrant ſonitu quis audet impedire undas? libero pede pulſat Pegaſus Parnaſſum, liber ſuos Tullius incolit campos. Sanè Aureæ Libertatis Sonus in ampliſſimo Sapientiæ ſolo, optimè audiri valet. Sed quis tam dulcem meliùs nobis edere valebit harmoniam? quàm Princeps in Regno Sapientiæ Alma Univerſitate Cracovienſi Verbi Divini legumq; Præco, quia Vox, Diviniſſimus JOANNES CANTIUS, Qui totus eleganti virtutum concentu vocaliſſimus Aureæ in Regno Sapientiæ Liberta-

berta-

bertatis intra hanc Divi PAULI Eremum meretur audiri Sonus. Prima hujus vocis origo interCarpati resonuit montes, quos vel ideò dicerem Aureos, dum ex illis Aureæ Libertatis prodijt Sonus. Benè & feliciter de Angulo hoc aurea Orbem Vniversum ingreditur Libertas CANTIUS, amant enim pretiosa latere, nisi vocaliori sonitû revelentur. Adstat nascenti JOANNI Cunina Dea, auribus secreta dictat, insusurrat, quæ postea explicet Orbi; prominent gratissima de oculis lumina, quæ Cælestia tantùm sydera spectant, mille in labijs Charites rident, acsi dulcem ex eis mellis favum svavemq; Ambrosiam libantes; sicq; Totum CANTIVM ubi in cunîs collegeris, aut si Apelles vel Parrhasitus es? pinxeris, jam Sonum depinxisti. Evolvitur extra suas CANTIUS cunas; volui dicere evolat, ac si Sonus; quo passu? conijcite, cùm statim extra pueritiam stetit. STANISLAVS & ANNA hanc Orbi protulere vocem, quidni in vocalissimum Aureæ Libertatis efformetur Sonum, cui adstantem sibi cedit ille laudem, Hæc de suo gratiarum ærario non negat pretium & valorem. Pueriles CANTIUM nolite abhinc invadere ludi, nam composito in modestiam vultu vos CANTIVS eludet; nec tenellas aures ridiculæ nutrices evanidis implete tintinnabulis, quæ vo-

calissimus Aureæ Libertatis confundet Sonus. Angustum erat intra domestica tantùm Penetralia Magnô quamvis in teneris resonare JOANNI, inter servilia agentes aureæ versari libertati, incommodum; sua illum capere nequit Macedonia, aliud Regnum sibi quæsivit JOANNES, Regnum inquam Sapientiæ Almam Vniversitatem Cracoviensem. O quàm pulchrè, quàm accomodè sub Sceptriferam Crucem Aurea abivit Libertas! quàm gravi virtutum tono in umbroso Academi Luco hic resotonavit Sonus! quis nam edisseret? A vocibus Grammaticis vocalior, intra raucas Parnassi rupes sonantior, è Tullianis laticibus ac Philosophico æquore clarior Sonus prodijt JOANNES. Intra eruditæ Palladis Laureas benè Aurea resonat Libertas, quibus dum CANTIUS ornatur, à quovis securior fulmine promulgatur. Doctorali in Regno Sapientiæ dum subarratur Annulo, illi tanquam signo Aureæ Libertatis ex virtutum pretio, ac gemmeo Doctrinæ splendore majorem CANTIUS addit valorem. Perennes semper à primo capite Orbis Vniversi nempè Ente Increato ordiebatur sensus, & rotundas æternitati connexas formabat Periodos. Quot

verba

verba tot gemmas fudit, quæ aureæ in Coronam cedebant libertati, Sanè inter liberos Regni ſapientiæ Cives. Gens libera CANTIUS, dum nulli unquam vitiorum ſervivit dominio; liberæ Aquilæ Polonæ Pullus liberrima pupillâ ſplendores Scholaſtici inſpiciebat Phæbi. Argumentorum fila, quæ in Publicis protendebat conſeſſibus, auream minimè ligabant libertatem, imò aliorum vinctos ei in triumphum ducebant animos. Novit ille ſuo ſvaviori ſonô diſcrepantes ad unionem fraternam allicere mentes, & ne aliqua in illis malevolæ ſortis fuiſſet operatio, agebat JOANNES. Philoſophicum paradoxum eſto: eum liberè vivere qui recta ſequitur, cui vivendi via in promptu, qui legibus non propter metum paret, qui nihil dicit, nihil cogitat, niſi libenter ac liberè, cui etiam ipſa Fortuna cedit. Quod Diviniſſimo JOANNI CANTIO hæc Aureæ Libertatis competat definitio; extra dubium eſto. Vixit liberè, vixit gloriosè in Regno Sapientiæ CANTIUS, recto ſemper virtutis incedens tramite, in vitiorum nunquàm obliqvum deflectebat callem. Erectum pijs in Orationibus JOANNEM ipſi obſervabant Cæli, Quem nil unquam inflectere poterat, niſi

 ſola

ſola primò in Superos poſteà in proximos charitas. In Auguſta Cella & hoc celare nequivit, quòd in illa inſomnes ducendo noctes pijs pervigil reſonabat precibus, quas ſæpiùs ante Imaginem CHRISTI Crucifixi abſolvendo; nocturno non parcebat ſilentio. Verbum Æternum nobis auream denotans libertatem, continua legebat mente; aſſiduo meditabatur ſtudiò; ſicq; in Regno ſapientiæ profecit; ut vox Verbi Æterni factus JOANNES tandem aureæ libertatis Sonus prodierit vocaliſſimus. Audiſſes JOANNEM non tàm ad campanarum quàm ad devotum ſui cordis pulſum, ſacras properâſſe ad ædes, in quibus nullo vitioſo ligatus nexu, liberam vocem humilis Myſta attollebat. Perpetuum infernale mancipium, horrido ferreîs alligatum catenis in Orco, hirundinis deformi aſſumpta ſpecie, Aram, ad quam Myſta CANTIUS incruentã Hoſtiã Superis litabat, circumvolitãs, JOANNEM invadit, pennîs ſtrepit, raucoq; vociferatur clamore; minimè tamen tantum murmur vocaliſſimum impedivit Sonum JOANNEM, qui tremendo Miſſæ Sacrificiô ad finem deducto, arripuit accolæ Tartarei aſtutiam, nilq; commune cum Aurea habere Libertate monſtrans, perennibus inferni injecit eandem

dem

dem ignibus. In publicis ac privatis Studiorum Comitijs, quibus Venerandus assidebat Doctor, ceu Aureæ Libertatis Sonus, verbis utebatur ùt nummis; & ne sua voce alicui pretium valoremq; adimeret, intensiori curabat studiô. Nullus eo movente erat perturbatus animus, nulla ex privato consessu publicè insamata fama, hinc illos Aurò Cedrôq; notandos sæpiùs Sonus hic repetebat versiculos:

Conturbare cave, non est placare suave,
Diffamare cave nam revocare grave.

Ita CANTIUS; quos nunquam offenderat, demissiori sono quia humili voce veniam ab eis precabatur. Nunquam CANTIUS suis servivit passionibus, pungenti verborum non lædebatur stylô, excitatis malevolo ardorê flammis non accendebatur, qualicunquè cordis impetû tactus Sonum solummodo Aureæ edebat Libertatis. Omnes quasvis illatas sibi injurias, spontè Incarnatæ offerebat Sapientiæ, hæc iterans verba; *ut supra.* Divos Cælites, dum asperitatum itinere ad supernas Æternæ Libertatis pervenisse sciverit ædes, eô semper tramite illuc currebat & JOANNES. Vno Sonus tantùm nescit audiri in loco, aurea certis finibûs nequit circumscribi

 scribi

ſcribi Libertas. Diviniſſimus JOANNES CANTIUS cùm ſatis Orbi reſonuerit Polono, cùm vocali Sanctimoniæ Cracias Turres impleverit Sonitu, tandem illas tendit ad oras, in quibus Aurea pro ſalute noſtrâ cædi, capi, funibusq; ligari, ultrò ſe permiſit Libertas. Videte quantus Aureæ Libertatis Sonus CANTIUS? Illi ad Sacra Apoſtolorum Limina tendenti Viatori, ultrò ſceleſti obviant prædones, innocuo ære ſpoliare illum intendunt, qui in omnes morê Cæleſtis gratiarum effuſus fuerat Eridani. Sedat tamen JOANNES furentium animorum innata modeſtiâ motus; minimè illis reſiſtens, libera voce quæ apud ſe habebat omnia ſpontè offert: ampliùs jam nil ſe habere aſſerendo. Suorum compotes effecti votorum in ſuas abeunt vias latrones, Sanctos ulteriùs etiam CANTIUS movit greſſus, quos vix paucos formavit, & ecce aliquot Illi, (quorum protunc immemor erat) in mentem venerunt nummi; quibus doctos vivere raptô volens diteſcere prædones CANTIUS, protinus illos convocat, poſcitq; ut ſonet Vox Ejus in auribus eorum. Stupent illi ad tantum intra denſa nemora Sonum; ſiſtunt greſſus, quibus CANTIUS aſſervatam dat vialium

partem


partem, utq; hoc illum oblivione fecisse agnoscant; precatur. Date ergò nunc o prædones vestrum de CANTIO sensum! nonne Sonus Aureæ Libertatis in vestris resonuit auribus; quem si talem uno sensu audistis JOANNEM, etiam gratiosum reliquis percipite; vestros in Illum erigite oculos, quos si vitiorum contexit caliginosa nubes, Sonus est, dispellet eam JOANNES. Infectis tot malorum tabo manibus ad Sacros Ejus procumbentes pedes tangite CANTIUM, sani salviq; ab aurea Ejus evasuri libertate: CANTIUS verò libero, pede quô cæpit, eat. Utì, Sacratiora visitando loca, ubiq; pretiosa virtutum exhibendo monilia, gemmeo verborum pondere, Sapientiæ valorem præstans, Sonus Aureæ Libertatis meruit appellari. Jam Romani Colles sese inclinando CANTIO, intra suum ambitum hunc voluerunt detinere Sonum; ni Vox gratiosa elegerit ad propria redire JOANNES. Factum est quod dixi: in hæreditario Regno Sapientiæ liber ex itinere sistens CANTIUS, Aureæ Libertatis documẽta dare nõ desistit. Nõ desistit inquam suarum documenta præstare gratiarum, dum ejulantem de confractæ ruina hydriæ solando mulierem, illi vas integrum

cum lacte reſtituit. Quid ultra? en triſtis pauperis gemitus oſtia vix ſubintravit CANTIJ, aures ejus ita everberat; ut lachrymis victus JOANNES, ſiſtendo fletus offerret lautiores eidem cibos, & domum lætiorem remitteret. Ipſa Sacratiſſima Virgo MARIA, domi JOANNIS inquilina, Pallium egeno per CANTIUM gratiosè collatum Eidem reſtituens, JOANNEM fecit Cæleſtium gratiarum Archivum. Tonat CANTIUS horrifico de Sacris Exedris fulmine; ut ſvaviorem pſalmodiam canat, Ejaculatorijs ad Superos utitur precibûs; ut faciles faciat in vota omnium Cælos, Sonus Aureæ Libertatis Vocaliſſimus, omnia proſpera, ad aures ſingulorum conducturus. Sed eheu! dum Univerſo Orbi gratias pollicetur JOANNES, in odia incidit fatorum. Jam ſuo erudito Sono Regnum Sapientiæ implevit JOANNES, jam Laureas libera fronte portavit Doctorales, jam Spineas CHRISTI ſuæ menti capitiq; imprimebat Coronas, quid supereſt? tendendum CANTIO pro illa; quæ manet ultima Cælo. Corporis langvore preſſus, naturali voce ac viribus deficit; Liberum Ejus pectus rauca obſedit lues;

verbô:

verbô: desinit vivus resonare Orbi CANTIUS, ad veriorem Auream Libertatem è Regno terrenæ ad Regnum Æternæ Sapientiæ sese transferendo. Quantumvis tamen desieris jam oracula pandenti nos alloqui voce, nos Te nihilominùs Vocalissimum Sonum, demissis exoramus vocibus, ut nobis gratiosus respondeas ad vota JOANNES. En officiosa pietatis fronte ad Tuos demittitur pedes Lechici Orbis Aquila, Divinissime PATRIARCHA; respice ergò hanc faventissimus, quæ à protervo ludentis fortunæ oculo despicitur. Vides JOANNES, quomodo hoc calamitoso tempore terra Polona, decoctoribus bonorum plena, in gyro adversæ fortunæ posita, movetur in deteriùs. Florentissimum hoc ab antiquo Regnum, nunc præ lachrymis arescens; quondam liberum, nunc malis captivum, ipsis tantùm stat ruinis; unde CANTI Divinissime ad pristinum fortunæ reduc illud florem, faciasq; omnia prospera in eo resonare. Erudita Regum, Procerumq; Mater, Minerva inquàm Jagellonica, Tuos uberrimos devotissima sitit favores, ut Doctorales Ejus Laureas fontibus irriges gratiarum. Sceptriferam Illius Crucem, sub qua olim JOANNES ad victoriam mun-

di militabas, fugiant partes adversæ, & quemadmodùm illa à gratijs tuis tota dependet, ita Te Superos flectente, in Ara fortunæ & Honoris suam habeat exaltationem. Myszkovianum cum Musis Parnassum Tuo devotissimum Nomini gratioso favorum concursu fæcundiorem redde, ut qui venerabundus in Solennes plausus tuos assurgit, iniqua non deprimatur sorte, ast omni fato appareat eminentior. Sacram Divi PAULI Eremũ, Phœnicibûs Virorum, ac ingeniorum Oloribus plenam, Arboribus Sapientiæ consitam, omni Cælorum clementiâ imple, intra quam utiq; es Sonus Aureæ Libertatis in Regno Sapientiæ Vocalissimus. DIXI.



22000,-
3.XII.13



Bibliotheca
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
02350